



**R. P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,  
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

**Regnault, Valère <1543-1623>**

**Mogvntiæ, 1617**

Cap. 4. De beneficiorum obligatione recitandi horas canonicas,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78477](#)

bus; quod est eodem transgressores non facere fructus suos, virtute regula; De triennali possessione, De qua in sequentibus. Id quod & ratio ostendit, quia talis regula intelligitur de iure & titulo beneficij acquirendo, non autem de fructibus post beneficium iam adeptum acquirendis.

Inde autem consequens est, eodem transgressores teneat eorum fructum restituitionem. A qua, an ignorantia, obliuio in inuincibilis excusat, difficultas est. Pro parte enim affirmante facit, quod acceptū sine acquisitione dominis sit restituendum. Pro negante vero, quod talis inhabilitas sit imposta tanquam pena punitiua culpa, quae committitur transgressione proposita obligationis; ignorantia autem inuincibilis facit culpam celsare: quare & penam, atque ad eo poena effectum: qualis effectus memoratae inhabilitatis, est restitutio facienda fructuum perceptorum. Quam partem in conscientia teneri posse puto: prout post Nauar. teget Azor in 2. par. Moral. Institut. lib. 7. cap. 2. que-

ftio. 2.  
Si queras, quid agendum sit ei, qui culpabiliter post duos menses ab accepto curato beneficio, vel canonicatu, vel dignitate in Ecclesia Cathedrali, non fecerit professionem fidei. Respondetur debere primo quoq; tempore eam facere, sicut is qui non soluit in termino constituto, obligatur quamprimum soluere, ex cap. Cum dilecti, De dolo, & contumacia, §. Præterea. Id autem ei non proderit quidem ad acquisitionem dominiorum fructuum antea perceptorum, proderit tamē cum retineat titulum beneficij, quae non priuatur per memoratum decretum, ad lucrandos fructus temporis subsequētis. Addit Azor in sequenti quest. 6. talem professionē posse fieri per procuratorem, & in quest. ultima, cum qui illam semel fecerit, quando ad primum canoniciatum, vel dignitatem, vel beneficium curatum promotus fuit, non teneri tandem iterare si ei aliquod tale beneficium nouum concedatur. Pro quorum priore, præter ea, quae ipse adfert, facit doctrina recepta de lege penalē benigne interpretanda: præseruit cum illud quod facit per alium, vere dici possit quod ipse fecerit. Contra posterius vero, quod neque ipse affirmat absolute, censer possunt facere verba illa Concilij, Teneantur à die adeptae possessiones.

TERTIA OBLIGATIO est soluendi annatas: de quibus multa Azorius in eodem lib. 7. cap. 12. in quibus immorari institutum nostrum non compellit nos. Cui sufficere poterit, quod habet Gigas de pensionibus, questione 26. Bonifacium nonnum fuisse primum, teste Platina in eius vita, qui statuit annatam soluendam ab ijs, qui beneficia à Sede Apostolica impetrant: nimur ut si cui de beneficio excedente valorem annuum 24. ducatorum auri de camera prouidetur: dimidium anni valoris beneficij impetrati partem soluat fisco Apostolico. Quae exactio non videtur magis reprehendenda in noua lege, quam exactio decimatum ex decimis in lege veteri: in qua ex capit. 18. Numerorum, ius sui Dei decima pars fructuum Leuitis & Sacerdotibus solubatur, & deinde Leuitæ, & Sacerdotes ex decimis sibi à populo redditis Summo Pontifici decimam soluebant, quae decima decimarum dicebatur. Addit idem Gigas per Bullas Pij secundi, & Innocentij octauj, Clericum obligatum ad solutionem annatae, non soluentem eam, priuari beneficio illo, pro cuius adceptione tenetur soluere. Quinetiam cum qui se pro alio annatam soluere obligavit, si non soluat statuto tempore, incurrire in excommunicationem, & priuationem omnium beneficiorum suorum.

Ceterum tales, quas vocant Bursales Papæ constitutiones, non admitti in Gallia ex Rebuffo notant Corasius in paraphrasi in materiam beneficiorum parte 4. capit. 4. numero 55. & Petrus Gregorius in tertia parte Syntagmatum Iuris viuieris libro 33. capit. 13. sub finem. Quocirca, vt ijdem addunt, nec Galli vtinatur regula Cancellariae de exprimendo vero valore beneficiorum in imputationibus: eti⁹ abili⁹, pro pinguissimis dignitatibus Episcopatum, Archiepiscopatum, Abbatiarum, & Prioratuum exigantur compositiones, que dicuntur taxæ. In quibus omnibus pro conscientia tutam censi potest illud, quod vidente, nec resistente Papa, in vsu est passim; neque continent peccatum manifestum: de quo cum dubium fuerit an aliquod inter-

veniat in eodū vsu; præsumendum est pro Papa: vt si ipse illum tolerat sciens, cum possit prohibere, is existimetur licitus, quantumcumque illius iusta ratio non satis apparet.

QUARTA OBLIGATIO est soluendi quindentia: quæ in locu manatarum successerunt Summorum Pontificum constitutionibus: quibus statuitur, vt decimoquinto quoque anno ex beneficijs vnitatis pio loco seculari, vel regulari virorum, aut mulierum, solvatur media pars fructuum illius anni. De quare videndum est Azor in citato libr. 7. cap. 13. sub cuius initium, tradit Paula in secundum de ea primum edidisse constitutionem: quæ incipit, Debet Romanum Pontificem.

Illam refert Petrus Matthæus in Summa constitutionum Romanorum Pontificum pag. 130.

Dubitatio est autem, An quindennium solui debeat ex beneficio Ecclesiastice dignitati vnitatis: vt Decanatu, vel Archidiaconatu. Ad quam respondendum est, quod non debeat solui, quia in constitutione Pontificis mentio tantum est de beneficijs vnitatis in perpetuum, id coque amplius non vacatur, qualia sunt quæ vniuntur dominibus, vel congregacionibus, vel locis pjs. Beneficium vero vnitum dignitati Ecclesiastice licet sit vnitum in perpetuum, vacare tamen solet cum dignitate cui est vnitum: vnde ex tali vniione fiscus Apostolicus non fraudatur annata.

QVINTA OBLIGATIO est soluendi annuam pensionem à Sede Apostolica beneficio impositam. Pro cuius intelligentia sufficient dicenda in sequenti cap. octavo. Sexta addi potest sufficiendi ordinem regimur ad beneficium quod acquiritur: quæ in particulari declarata videri potest apud Tabienam, Beneficium, tertio, quest. 20.

#### C A P . I V .

##### De Beneficiatorum obligatione recitandi horas canonicas.

#### S V M M A R I V M .

- 32 Ex iure ad beneficium non oritur talis obligatio, & differentia habentium ius in beneficio.
- 33 Difficultas autem obligatio cadat in non initiatum sacro Ordine, cuius beneficium non sufficit ei ad honestam sustentationem.
- 34 Cur pars affirmans sit tenenda in præcepto?
- 35 Cur reiencia pars negatur?
- 36 Solutio rationum quibus eadem pars confirmatur, & causa vera ob quam beneficiatus in natura ad recitationem horarum canonicas.
- 37 Difficultas de ijs, qui habent titulum beneficij, quod non possident, aut cuius fructus non percipiunt, obliganturne ad recitationem horarum canonicas.
- 38 De ea tenenda in præcepto.
- 39 Is qui primo anno, aut vterius nihil percipit ex confutacione, aut statuto sua Ecclesie obligatur ad recitationem horarum canonicas.
- 40 Non iem qui habet quidem verum titulum beneficij, sed per lit. m impeditur a possessione.
- 41 Nec item pensionarius, aut coadiutor datus beneficiario, aut exceptuam tantum habens.
- 42 Obligatio recitandi horas canonicas est sub mortali.
- 43 Item q; cum obligatio ad restitutionem fructuum perceptorum: idq; itam non expedita Iudicis condemnatione.
- 44 Quatenus, & cui facienda sit talis restitutio.
- 45 Quomodo sit accipendum quod talis restitutio fieri debeat fabrica beneficij, aut pauperibus.
- 46 Non cessat proposita obligatio ex eo, quod alia onera beneficij sint implata: & duo casis in quibus talis restitutio non potest fieri fabrica, aut pauperibus.
- 47 Dubitatio, An ad propositam restitutionem tenetur, qui recitauit quidem horas canonicas, sed sine debita attentione.
- 48 Pars illius affirmans est tenenda.

32.

**C**ætera quæ ad recitationem horarum canoniarū spe-  
ctant, persequuntur sumus pro nostro modulo in pre-  
cedenti libro 18. capite 11. 12. & 13. reie&tis in hunc locum ijs  
quæ peculiariter spectarent ad oblationem beneficiatorū,  
eadem horas recitandi. Circa quam notandum est primo,  
ante habitum beneficij titulum, quo illius dominium acqui-  
ritur, non oriri obligationem recitandi horas canonicas,  
quaeruntur neque itum iam sitius ad tale dominium ha-  
bendū, prout sit per prouisionem non acceptā, aut per ele-  
ctionem, vel nominationem. Ratio est: quia beneficiatus  
dicitur & est, is tantum qui beneficij dominium iam habet.  
Notandum est secundo, circa beneficiatos habentes ius in  
beneficio seu adeptos beneficij dominium, oportere in hac  
reuti distinctione. Quidam enim sunt qui beneficium ha-  
bent, & fructus percipiunt. Quidam vero etiam benefici-  
cium habent, non percipiunt tamen illius fructus. Quibus  
ex opposito respondent alij, qui beneficij non habent qui-  
dem, fructus tamen illius percipiunt. De quorum singulis  
docendum est, quatenus propositæ obligationi subiectantur,  
vel ab ea eximantur.

*De proposita obligatione respectu eorum, qui bene-  
ficium habent, & fructus illius per-  
cipiant.*

### SECTIO I.

33.

**D**E talibus etiam non sicut sacris Ordinibus initati, com-  
munis consensus Doctorum est quidem, quod ad ho-  
raturum canoniarum recitationem teneantur, si beneficium  
habeant sufficiens ad suam sustentationem. Sed in contro-  
uersia versatur, num item teneantur, etiam beneficium sit  
ad eo tenuis, ut non sufficiat ad sustentationem honestam.  
Quod autem teneantur, Medina in Cod. De oratione ques-  
tione septima, nota haberi ex cap. Clericus vii. distinc-  
tione 91. in quo statuitur, ut Clericus, quæsi beneficij fru-  
ctus alere non possint, quarat suo artificio vii. sine de-  
trimento officij sui; vbi glossa, verbo, Vizilijs, eandem sen-  
tentiam exprimit, & probat; tum quod talis præiudicium sibi  
ipse fecerit, cum se propria sponte promoueri permisit, tum  
quia sicut vir contrahens cum malere modicè dotata, ten-  
etur semper, & vbiique eam alere; sic beneficiatus tene-  
tur, ut eiusdem glossa verbis ut ar. officiare Ecclesiam, licet pau-  
per sit, & dicere cum Apolo ad Philip. 4. cito satiari, & esuri-  
re: abundare, & penuriam pati. Itemq; Actor. 20. Ad ea qua  
michi opus erant, & his qui mecum sunt ministraverunt ma-  
nus iste: vultq; istud procedere, sive Ecclesia ab initio, cum  
est ad eam promotus, pauper sit: sive postea vergat ad pau-  
pertatem. Quoniam quidem glossam singularē, & ab omnib;  
receptam esse ait Nauar. De oratione cap. 7. n. 27. Vnde intelli-  
gitur eam, præsertim cum tutor sit & animam concernat,  
amplectandam, & consilendam est, iuxta cap. Iuuenis, De  
sponsalibus.

34.

Tutio rem vero esse ostendunt: nam quod in eâ nihil in-  
sit periculi peccandi, ut in contraria messe potest: tum quod non  
de abamus facile inducere in animum tot, tamq; doctos  
viro, & in sacris canonibus expendendis bene exercitatos,  
temere sentientia hanc tueri, & scrupulosæ animas in re quo-  
tidiana illaqueare velle; nam ita senserunt tam Holtiensis,  
quam alij Canonistæ ad cap. 1. De celebratione Missarum, ut  
Nauar. loco citato nota addens D. Antoninum 3. part. tit. 13.  
cap. 4. §. 1. & Cardinalem, ad Clem. primâ, De celebratio-  
ne Missarum, & Sylu. in verbo, Hora, qu. 2. quibus ipse sub-  
scribit, tum ibidem, tum in Enchir. cap. 35. num. 102. & post  
ipsum ex recentioribus Iacobus à Graffis lib. 2. Decis. aur. ar. 27.  
cap. 49. nu. 8. Toletus in lib. 2. Infructuus Sacerdotum, cap. 1. 4.  
ca. sa. quinta, Gregorius à Valent. 2. 2. d. fputation. 6. questione 2.  
puncto 10. §. Circa 7. in fine, Azo in prima parte Moralium Insti-  
lib. 10. cap. 3. quæst. 3. & nouissime (alios adhuc citans) Suarez  
De religione tom. 2. tract. 4. lib. 4. cap. 21.

Imo eum esse communem Ecclesiæ sensum, satis aperte  
iudicavit Concilium Lateran. sub Leone X. scil. 9. in Bulla  
reformationis curiæ, canone nono: cum quemlibet haben-  
tem beneficium sive cum cura, sive absque cura animarum,  
si post sex menses ab eo obtento obseruit dicere officium di-  
uinum, legitimo impedimentoo cessante, priuat fructibus

ipius beneficij pro rata omissionis, ita ut eos nonquam non  
suis, iniusteque perceptos retinere nequeat, sed teneatur in  
fabellam eiusdem beneficij, vel in pauperum elemosynas  
erogare, cum beneficium detur propter officium. In quo sta-  
tuto patet supponi sensum Ecclesiæ imponentis recita-  
tionem diuini officij beneficiarij, esse ut omnes, quidquid alia  
incumbant ipsi ratione sui beneficij (vt incumbunt multa  
cum ipsum fuerit cumatum) ad eam teneantur: ita vt voluerit  
eandem esse quasi primum, & fundamentale officium, pro-  
pter quod datur beneficium; quemadmodum habet Suarez  
in c. tato lib. 4. cap. 18. num. 5. nec est quod dicatur statutum il-  
lud non esse extendendum ad habentem beneficium tenuis:  
nam verba generalia sunt, quibus sic incipit: Statuimus, &  
ordinamus, ut quilibet habens beneficium sive cum cura, si-  
ue sine cura, &c. Quod sit, ut sicut pœna omissionis beneficij  
impedit omnibus beneficiarij, qui aliquod crimen admis-  
serint, non minus subiectur reus talis criminis habens tenuis  
beneficium, quam habens pingue, ita nec minus subiectur  
pœna imposita beneficiarij omnibus non recitantibus di-  
uinum officium. Et confirmatur quia tenuis esse, est tantum  
accidentarium beneficium: nec impedit quin ipsum sit ve-  
ram ius spiritale, sufficiens ad veram beneficij rationem, vt  
argumento est quod sufficiat ad frumentum omnibus priuile-  
gijs, quæ conceduntur Clerico minorum Ordinum haben-  
ti beneficium Ecclesiasticum; videri potest Suarez in prius  
cit. cap. 21.

In contraria sententia autem est Sotus in lib. 10. De iust. &  
iure quest. 5. artic. 3. circa medium questionis, quam à nonnullis  
pij, & doctis viris probabilem existimari Azor notat in me-  
morata quæstiō. tercia. Sed illorum authoritati sufficienter  
oblitus multitudine aliorum tum piorum, tum doctorum vir-  
orum, oblitus item, quod à lege exceptionem faciant, nulli alteri legi innixi: talenque exceptionem, per quam aperi-  
atur via ad grauiter derogandum illi ipsi legi obligationem  
ipsius paulatim extenuando, dum eadem relinquunt arbitrio  
prudentis determinanda quoad quantitatem ex qua be-  
neficium debeat, aut non debeat conferri tenuis. Quod arbitri-  
bitrium pro prauitate cordis humani, raro fit sine periculo  
seruandi potius priuatis affectibus, quam Dei obsequio:  
vnde præparetur materia dissolutionis vitæ atq; minuatur  
cultus diuinus.

Quæ incommoda, Ecclesiam dando beneficium propter  
officium, velle vitare sotis intelligitur ex capitulo. De recri-  
ptis, in 6. Et videri potest ob eam causam, vna ex parte sta-  
ture in cap. 1. dist. 91. vt eis cui beneficium suum non sufficit,  
proprio artificio, vel agriculturâ tenuiat sibi necessaria: &  
ex altera parte (vt communis vñus docer) non obliget ad plures  
recitationes, ob beneficij habens redditus sufficiens ad plu-  
rium sustentationem. Imo nec ob multa beneficia etiam pin-  
gai simul habita, vt bene tractat Suarez in citato lib. 4. capit.  
18. num. 6. & sequentibus.

Rationes autem quæ pro eadem Sotis sententia adferri pos-  
sunt bene soluuntur à Nauarro in tract. de oratione cap. 7. n. 27.  
Prima est, quod ex cap. Is cui, De præbendis, in C. habentibus  
beneficia ad sustentationem necessaria, non possint alia be-  
neficia conferri: possint autem non habentibus sufficiencia:  
per quod significatur, illum qui non habet beneficium suffi-  
cien, non habere beneficium: Respondeat Nauarrus signifi-  
cari tantum, quod nō habeat beneficium impediens alterius  
beneficij consecutionem: non autem quod sit sine benefi-  
cio, quia modicum beneficium est vere beneficium, vt satis  
intelligitur ex paulo ante dictis.

Secunda est, quod ratio ob quam censetur quis obligari  
ad recitationem officij sit quod ille qui vivit de altari, debet  
altari deseruire: sicut viceversa, qui altari deseruit, debet de  
altari vivere, iuxta cap. Cum secundum Apostolum, De præ-  
bendis. Ad quod etiam facit: tum illud ex citato cap. finali:  
proper officium, datur beneficium Ecclesiasticum; tum etiam,  
quod sicut olim omnes Clerici tenebantur ad recitationem  
diuini officij ex cap. finali, distinet. 92. sic erant ab Episcopo  
sustentandi, ex cap. 2. De præbendis. Atque nunc, cum so-  
lo iniciati maioribus Ordinibus ad illam teneantur, & illos so-  
los sine titulo ad sustentationem sufficiente ordinatos, tene-  
tur Episcopus sustentare, ex citato cap. Cum secundum Apo-  
stolum.

Respon-

REGIN  
PRAX  
TURÆ  
EV

Responde Nauarrus veram causam ob quam beneficia-  
tus tenet officium diuinum recitare, non esse quod de pa-  
tronio Chresti viuat; nam Clericorum famili, multique  
alij de eodem patrimonio viuant, qui non habent eam ob-  
ligationem: sed quod ob beneficium quantumcunque ex-  
iguum, Ecclesiaz institutione deputetur quis ad laudandum,  
& orandum Deum, eis; inserviendum pro populo à quo ac-  
cipit annum prouentum. Quem nihil referit insufficientem  
esse quoniam in praefando offi: o spirituali, vspirituale est,  
non est habenda ratio iustitia coniunctiva; quasi aten-  
dere oporteat & qualitatem inter officium ipsum, & stipen-  
dium, quod loco paulo superius cit. Greg. à Valen. benemone-  
t; qui spiritali astimaretur aliequi pecunia, & simonia  
crimen incurreretur: quod committitur tum alijs modis,  
tum accipiendo pretium pro labore de se & intrinsece ne-  
cessario ad exequendum officium aliquod spiritali, vt idem  
author ostendit in seq. q. 16, puncto 2, questione 6. Vide tra-  
dicta in praeced. lib. 23, cap. 17.

Ac cum hæc ita sint, satis intelligitur nullam ab Ecclesia  
injuriā fieri beneficiato dum ei non habenti stipendium  
sufficiens ad sustentationem suam, imponit onus recitandi  
officium diuinum: sicut nec fit ei, qui ad titulum tantum  
modo patrimonij sui promovet utrū ad sacros Ordines: pre-  
sertim cum tale officium de se sit exercēdū gratis tanquam  
spiritali: quod temporali nec subiçere, nec coquare licet,  
prout habetur ex communī doctrina de simonia. Et quam-  
uis illud exercit, in vita subtiliā aliquid accipere non pro-  
hibetur, vt ex eadem quoq; doctrina habetur, tamē recita-  
tio ipsa horarum canonicularum, non requirit tantam diei  
partem, vt nisi subtiliū sufficiens Clericus beneficiatus ex  
beneficio accipiat, possit pro arbitrio eam omittere. Id enim  
Ecclesia non permittit, vt er cap. 1. & ex cap. Clericus vietū,  
dicitur, intelligitur. Nec de eo ipso conqueri potest quando-  
quidem se sponte sua subiecti obligationi, quæ iuxta antedicta, ex Ecclesiæ institutione annexa est cuilibet beneficio Ec-  
clesiastico. Injuria autem non fit scienti, & volenti, prout  
peculiariter declaratur exemplo viri, qui tenerit ad onera  
matrimonij, quamvis non accipiat ab vxore donum ad ea suf-  
ficiēt. quoniam illam volens ducere, tali oneri sua spon-  
te subiecti. Videri potest Suarez in cit. c. 21. vbi plenus cā  
derer difficit.

Tertia ratio est, quod parum & nihil in iure & equipollat.  
Responde Nauar. id non semper ita est: quin potius ea re-  
gulariter differre, presertim in hac re: quandoquidem mo-  
dicum beneficium iure canonico & est & dicitur beneficium  
in cap. Si proponente, De rescriptis: & in cap. Non potest,  
& in cap. Si motu proprio, De præbendis in 6.

*De eadēm proposita obligatione respectu eorum, qui benefi-  
cium habent quidem, non percipiunt tamen  
fructus illius.*

## SECTIO II.

S Varez in memorato lib. 4, cap. 19, refert hac de re tres sen-  
tentias: vnam Nau. in tractatu De oratione cap. 7. num. 29.  
Eam cui beneficium collatum est, statim ac collationem ac-  
cepit, teneri ad recitationem horarum canonicularum, et  
iam ante illius possessionem. Ratio est: quia per ipsam collationem  
accepit, illi debentur ex eo tempore, quantumvis  
non sit percepturus ante possessionem adeptam.

Secundam vero Paludani in 4. dist. 15. quest. 5. art. 1. conclus.  
5. sub finem, ad obligationem recitandi horas canonicas tra-  
slatione beneficii, ultra huius titulum requiri eiusdem posses-  
sionem, tanquam complementum, per quod habens ipsum,  
simpliciter dicitur beneficiatus, gaudetq; honoribus, & pri-  
uilegiis beneficiatorum. Quocirca incumbit onus recitan-  
di, quod generaliter in politum est beneficiatis. In quam  
sententiam propendet Medina in Codice de oratione, questio.  
7. non longe ab initio.

Tertiā demum (quæ est aliorum in praeced. sectione  
num. 34. me. horarum, & Caiet. in verbo, hora Canonica  
ex sub initium, communiorque sententia) cum ad recita-  
tionem horarum canonicularum non obligari tanquam benefi-

cium, qui habet quidem beneficium. sed nullos illius fra-  
etus recipit nec per se, nec per alium; neque per ipsum fiat  
quo minus recipiat: nec etiam in posterum percepturus est  
ratione illius temporis. Hanc probabilem facit, quod tunc  
cesset causa talis obligationis, quæ est, vt gratia rependatur  
populo largienti temporalia, cui conscientaneum est reddi  
spiritualia: fecit & ex aduerlo Clericis impendentibus spiri-  
talia consentaneum est populum rependere temporalia, vt  
in priori ad Corinth. cap. 9. ostendit A postolus. Et ita hoc  
tempore quo Ecclesia deposituit curam alendi Clericos mi-  
norum Ordinum, censetur quæque eos liberasse ab obliga-  
tione recitandi horas canonicas. Itemq; si Papa alicui bene-  
ficium sic conferat, vt alteri omnes redditus relinquit simul  
eum tota beneficij administratione, censetur consequenter  
taliter beneficium liberare ab onere recitandi horas cano-  
nicas, quemadmodum Tolerus attigit lib. 2. c. in fine cap. 14.  
Quidquid autem sit, in praxi documenta sequentia tenenda  
videntur.

Primum est: Solum titulum beneficij sine spe possessio-  
nis, vel cum ea quidem, sed sine spe perceptionis fructum  
vnquam futura, non inducere obligationem recitandi ho-  
ras canonicas; neminem esse qui contra sentiat annotat Shae-  
rez in citato cap. 19. Et ratio est: quod id nullo iure, aut con-  
suetudine sit constitutus: nec ratio suadet, cum tale, nomine  
tantum, beneficium censes posse, tanquam ius inefficax per  
quod nequit obtineri illud ad quod datum est. Vnde non est  
ad ipsum extendenda lex obligas ad recitationem horarum  
canonicarum, vndeque tanquam onerosa, restringenda  
est interpretatione, non extendenda.

Secundum est: Tum est quidem, nec probabilitate  
carere Nauari sententiam: nihilominus non esse tenet  
dam contraria ceterorum: nempe titulum beneficij sine  
possessione, non sufficere ad obligationem recitandi horas  
canonicas: nam tot nobilium authorum iudicium illam red-  
dit satis probabilem. Cui & ratio suffragatur; quia benefi-  
cium ut sit ius efficax, cum titulo requirit possessionem. Ideo  
enim beneficiatus ante acceptam possessionem nequit sibi  
vindicare beneficij fructus.

Tertium est: Eum qui cum titulo beneficij habet illius  
possessionem, non eximiā proposita obligatione; ex eo, quod  
non ipse, sed nominis ipsius, alter accipiat fructus. Ratio pa-  
tet: quia beneficii non definit inde esse ius efficax, & ita  
adolescentes beneficiati, quorum parentes pro cibis percipi-  
unt fructus sui beneficij, non minus subiectiunt ei obliga-  
tioni quam si perciperent per se. Obligari similiter cum, qui  
ex beneficio nihil aliud, quam distributiones quotidianas  
perciperet; cum de tali vere dici nequeat, quod nullum fru-  
ctum beneficij percipiat.

Quartum est: Obligari etiam eum, qui ideo nihil perci-  
pit, quod possessionem non capiat cum possit. Ei enim sua  
fracta, aut negligenta non debet prodesse: nec Ecclesia inde  
obsequio debito fraudari. Idem iudicium est de eo, qui ac-  
cepta possessione, ideo non percipit fructus, quod sine le-  
gitima excusatione non residet; nam & de tali vere dicatur,  
stare per ipsam quominus recipiat fructus beneficij sui. Di-  
cendum est paratione obligari illum, cui facta est beneficij  
collatio, & est ab ipso acceptata (vnde in re, seu beneficij  
dominium quæsum est ei) si fructus illius temporis, suo ce-  
quesstrati, siue ab alio male usurpati, tādem autoritate iudi-  
cis, aut alia via legitima, probabiliter videatur ei restituendi;  
ipso, vt par est, id procurante. Pro hoc aliquot authoribus  
citatis Suarez in isto sequentis cap. 20. rationem adserit, quod  
talis vere, ac propriè beneficiatus sit, cum ad id non requira-  
tur ut fructum perceptio sit anticipata.

Quintum est: Obligari quoque eum, qui omnes benefi-  
cij fructus loco pensionis reseruavit ei, qui in tum fau-  
oren illud resignauit. De quo Suarez pluribus in citato cap.  
20. dicitur. Ratio vero est: quia ad quem pertinet beneficij ad-  
ministratio, pertinet & recitatio horarum canonicularum, sicut  
aliorum munierum executio: talisq; sit vere beneficiatus: &  
quod alius accipiat fructus, id de consensu ipsius fiat, cum  
consenserit referari alteri; neque propter suam voluntati-  
tem (vt nec ob suam culam, si ob aliquam priuaretur iij.  
dem) debet Ecclesia primari seruitio sibi debito. Adde quod  
possit, si velit fructus aliquos percipere: quandoquidem  
potest

AL  
AS

# REGIN DI PRAX MORI EV

potest eidem beneficio deseruire; & alter cui annes fructus referuati lunt, cogi satisfacere pro impendendo seruio: quia talium fructuum nomine, intelliguntur iij soli, qui deducuntur oneribus referuati sunt. Ita Nauarr. *De oratione capit. 7. num. 30.*

**39.** Addens sextum documentum: Non excusari quem ob id dum taxat, quod fructus beneficii in primo anno, aut pluribus, fabricet, aut prædecessori mortuo, aut alteri cuiquam rei, v. l. personæ debeat ex consuetudine, vel priuilegio. Ratio illius est, quod tali debeat dimidia pars fructuum, prout declaratur in Extraug. Ioannis 22. incipit, Suscepti regiminis; ideoque in illis eadem ac in præcedentibus litteris ratio; sicut etiam probabile est eandem esse in ijs canoniciis qui ex Ecclesiæ statuto, vel consuetudine nihil penitus percipiunt primo anno, aut etiam ulterius, etiam si velint deseruire, ita ut omnia cedant antiquis Canoniciis. Nam eodem iure, quo antedicti, exigere possunt dimidiatos fructus. Neq; eis obstat consuetudo aut statutum contrarium: quia per constitutionem Pij quinti, quæ incipit, Durum, editam anno Domini 1570. ea & improbat & abrogatur. Quae de re plenius Suarez in sequent. dicto tertio. Quod si quis ob molestiam litigandi contra suam Ecclesiæ consentiat simpli- citer in prædictam consuetudinem, non excusabitur ab hac obligatione restituti, vt nec excusatur ille qui beneficium accipit, consentiens vt fructus pro pensione restituuntur ei qui in ipius fauorem illud resignauit. Ratio est ex Medina in cit. quæst. 7. titul. cum possessione, ratione cuius percipiuntur fructus bonorum Ecclesiæ, cum habeat veram rationem beneficij inducit obligationem recitandi officium diuinum, prout satis constat ex supradictis, cui obligationi debet per aliquem satisfieri. At non debet per eum percipit fructus sine titulo, iuxta post dicenda. Ergo per eum qui habet titulum: qui sua voluntate se submittit conditioni habendi eundem per aliquod tempus sine fructuum perceptione. Accedit ad hac quod plerumque Canonicus de quo agimus, si velit adesse choro, particeps fiat distributionum: aut si ob re velit partes vicarij, qui illi interea sufficiendum est, ne Ecclesia in præiudicium diuini cultus, careat debito numero suorum ministrorum: possit accipere stipendum eidem Vicario tribuendum.

Septimum est. Ad liberationem à proposita obligatione, non sufficere quod pro aliquo tempore fructus non percipi- antur, si spes sit alias percipiendi: alioquin enim pro anno in quo ob sterilitatem, aut aliud incommodum nulli percipi- rentur, beneficiarius non teneretur recitare: nec, si benefici- um esset curatum, sacramenta pari de causa administrare. De qua re Suarez in eod. cap. 20. dicto 5.

**40.** Ultimum documentum est: Eum qui habet titulum be- neficij sed possessionem accipere impeditur per item, non teneri ad recitationem horarum canonistarum. Hoc aduersus Nauarrum incit. cap. 7. num. 29. Suarez probat in fine præ- cedentis cap. 19. tum per illud, quod ante habitum est, so- lum titulum absque possessione m. im. sufficere ad obliga- tionem recitandi horas canonicas: tum ex eo, quod si colli- tigari possessionem habeat, colorato forte titulo intrusus: is vt ad omne aliud talis beneficij onus tenetur, ita & ad pro- positam recitationem: non autem alter qui ab administra- tione, & à possessione excluditur: prælettum cum nihil sit cui idem onus, cui per unum satisfit, imponatur duobus. Si neuter litigantius habeat possessionem: ac vetere litigat, existimans in conscientia ius habere: non vni potius, quam alteri incumbit talis obligatio; cum apparent iure pares; quandoquidem non daretur alioqui litigationi locus. Nec obstat, quod interea temporis Ecclesia frustribut ob- sequio talis recitationis, aut quod is qui vincet, fructus se- questratos recipiet: quia id per accidentem est, perinde ac cum beneficium per aliquod tempus vacat, in quo non est qui satisfaciat illiusmodi obligationi: & successor capit fructus eiusdem temporis. Qua tamen in re cauenda est fraus, & negligientia per quam lis diutius protrahatur. Id enim tan- quam Ecclesiæ valde iniuriosum non haberet excusationem à graui peccato. Vnde si lis nequit breui tempore ter- minari, dirimenda est facta compositione inter litigantes.

\*

41.

De eadem obligatione respectu corum, qui non haben- tes titulum beneficij, percipiunt fructus illius.

## SECTIO III.

I Stiulmodi sunt pensionarij, ad quos pertinent dicenda in sequenti capitulo. Eos autem ad recitationem horarum canonicas non teneri, consentiunt authores. Ratio vero est, quia non sunt propriæ beneficiarij, & Ecclesia nullum præter initiatum sacro Ordine aut Religiosum profsum addicatum choro, ad talem recitationem adstringit, nisi beneficiarij; ita Nauarr. in cap. 7. *De oratione numer. 25.* Addens nihilominus eos qui pensionaria Clericalem, seu tamquam Clerici, habent sufficientem ad vitæ sustentacionem, t. scri ad recitatio. em horarum minorum Beatae Virginis sub eadem pena, qua beneficiarij tenentur ad recitationem horarum canonistarum. Qua de re idem in sequent. numer. 32. & in Enchir. cap. 25. numer. 122. Bullam P. J. quinti refert, & explicat. De qua Suarez in memorato lib. 4. cap. 22. num. 6. nonat, præceptum per eam impositum, non ita limitariad preces beatæ Virginis, quin pensionarius si velit possit recitare horas canonicas, per quas plenius satisficerit suo muneri. Namque probabile est Papam noluisse lege sua illas excludere, sed solummodo noluisse imponere pensionarij tantum onus. Vnde illud Suarez infor. habentem beneficium, & Clericalem pensionem satisfacere, si recitat horas canonicas, etiam si non addat in ore horas B. Virginis; quia potest utriq; oneri satisfacere per unam recitationem horarum canonistarum, perinde ac habens duo beneficia.

Exante propria ratione pariter colligitur, quod Medina in Cod. *De oratione, seq. 7. anno. 11.* : quod cum coadiutoria non sit Ecclesiasticum beneficium, sed aliquid ei adjunctum: coadiutoriorem datum alicui beneficiario non esse obligatum, ad recitationem horarum canonicas: nisi ipse in defectum eiusdem beneficiarii suscipiat in se totum onus bene- ficii, vt solerit in cuius commendatur aliquod beneficium donec alter eo intituletur. Quo casu per suam aceptionem beneficiario subrogatur in tota obligatione beneficij, vt bene docet Suarez in sequent. num. 14. Alias vero talem obligationem non habere specialiter im. solitam, manente apud retinentem be- neficium obligatione recitandi, prout Nauar. in cap. 20. *De oratione num. 18.* probat: quia ratione beneficij non solent ob- ligari duo ad priuatam recitandum. Vnde illud addit generali resoluendum esse: quod coadiutor recitetur facere omnia, & sola illa ad quæ datus est coadjutor, etiam si constitua- tur futurus in totum successor: & ita si datus sit coadiutor ad diecndum omnes horas nomine beneficiarii, tenebitur ad omnes illas: si vero ad aliquas solas, ad eas duntaxat: siq; omnibus diebus, tenebitur illis omnibus: sin tantum aliquibus, ijs solis: quia causa limitata limitatum producit eff. qm. Quæ aduertere dici de publica recitatione; nam obligatio pri- uata recipi, quia personalis est, alteri commendari non pos- test. Quod etiam potest Suarez in seq. n. 15.

Consequens est quoque ex eadem doctrina, eos qui so- lum habent expectatiuas beneficiorum, vt qui dicuntur Ca- nonici in spe, non teneri ad horarum recitationem: quia be- neficium expectare, non est illud habere: sed cum ab alio habeatur, ius aliquod sibi vendicare ad illud aliquando ha- bendum. Consequens demum est vniuerser, nec teneri quem- quam alium percipiētem fructus beneficij alio titulo, quam beneficij.

De restitutionis pena, que incurritur non satisfaciendo ob- ligationi proposita.

## SECTIO IV.

D<sup>V</sup>plex solet assignari pena cui obnoxius fit beneficia- rius transgrediens hanc de qua agimus obligationem: vna peccati mortalis: & altera restitutionis. Ac de priori sa- tis confit ex cap. Clericus vi. & distin. 91. iuxta quod beneficiarius non recitans horas canonicas dignus est excom- municatione: quæ tantum pro peccato mortali imponi po- test, ex cap. Nemo Episcoporum II. qu. 3. Accedit modus quo eadem

eadem recitatione præcipitur in c. Dolentes, De celebratio-  
Miserarum, & alij illis verbis, Discretiæ præcipientes in vir-  
tute sanctæ obedientiæ, vt diuinum officium nocturnum  
pariter, & diuinum, quantum eis dederit Deus, studijs cele-  
brent, pariter & deuteo, nec de eo est inter Doctores con-  
trouerter etiamsi non conueniat inter eos, quantâ omisso  
eiusdem recitationis requiratur ad constituendum tam gra-  
ue peccatum. De qua re iam eginus in præced. lib. 18. nu.  
143. & duobus sequentibus.

De posteriori, hoc est, restitutionis pena, An ea incur-  
ratur ipso facto ob omissam horarum canonicarum recita-  
tionem à beneficiario. An autem post ludicis tantum con-  
damnationem, dubitatum quidem est inter antiquiores, vt  
videre licet apud Sylv. verbo Clericus, 4. quæst. 23. vbi tum  
authores, tum etiam rationes adferunt in utramque partem.  
Sed vix videtur esse nunc locus relictus dubitationis: cum  
in Concil. Laterenensi sub Leone 10. sess. 9. canon. 9. con-  
stitutatur. Et nemo beneficium habens, qui elapsis sex mensibus  
ab eius consecutione, sine legitimo impedimentoo of-  
ficium diuinum recitare omiserit, pro tempore quo non re-  
citat fructus suos faciat; imo teneatur eos, tanquam rem  
iniuste captum impendere in fabricam beneficiorum in ele-  
emosynas pauperum. Quæ verba, tanquam rem iniuste cap-  
tam, &c. fatis contendunt illud quod citatis Nauarro, & Co-  
uarr. habet Suarez in eodem lib. 4. cap. 30. sub initio quoad  
forum conscientia nullam requiri Iudicis sententiam declaratoriam: cum nihil iniuste captum possit de se bona  
conscientia retineri.

Ad quod quidem statutum (de quo plurib. idem Suarez  
in præced. cap. 29.) accessit bulla Pii quinti relata à Nauarro  
in Enchir. c. p. 25. num. 122. & de oratione cap. 7. num. 32. in  
qua idipsum statutum non modo commendat, vt pium &  
salutare, sed etiam illud innovando, declarat quænam de-  
beat esse talis restitutio: nempe vt qui omnes horas canonica-  
nas vel pluribus diebus intermisserit, omnes beneficiorum,  
vel beneficiorum suorum fructus; qui illi diei, vel illis die-  
bus responderent, si quotidie diuidenterentur: qui autem so-  
lum matutinum, dimidium, qui cæteras horas omnes, di-  
midium item: & qui singulas ex eis, sextam partem fructu-  
tum talis diei amittat. Declarat etiam, quod et si per sex pri-  
mos mensis à die acceptatæ collationis beneficiorum non reci-  
tans horas canonicas liberat à restituzione, non est tamen  
liberum à peccato mortali, quod tali omissione committante  
diximus. Item obnoxios esse taliter quoquis bene-  
ficiarios, qualicumque sint eorum beneficia, itemque pen-  
sionarios, non quidem omnes, sed solos eos, qui tanquam  
Clerici, fructus, aut alias res Ecclesiasticas percipiunt, nisi  
dicant paruum Officium beatæ Virginis.

De qua constitutione pro quotidiana praxi Suarez in ci-  
tato cap. 30. habet notatum digna. Primum est nu. 2. ab ho-  
minibus doctis, & piis non dubitari, quin ita sit vnu recepta,  
vt obliget. Secundum est, pro quo plures alios citat nu. 6. ex  
vi illius legis restituendo esse fructus secundum proportionem  
in ea declaratam, neq; vnu tantum, sed omnium be-  
neficiorum, quæ habuerit ille qui non recitat. Hoc habetur  
aperte ex verbis illis eiusdem legis, Omnes beneficiorum, seu benefi-  
ciorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, &c.

Tertium est, nu. 11. in fine, per eamdem legem, proposi-  
tae posse extensionem, cum eadem proportione heri ad e-  
os, qui etiam in choro sunt præsentes: nihilominus nec ibi,  
nec alibi recitant horas illas quibus assunt: fieri similiter  
ad pensionarios, non quidem omnes, sed solo eos, qui tanquam  
Clerici fructus, aut alias res Ecclesiasticas percipi-  
unt, nisi dicant paruum Officium B. Virginis.

Quartum est, de quo in num. 13. & 16. ab hac obligatione  
restituendi, excusat posse: tum materia paruitatem, tum  
ignorantiam, obliuionemque inculpabilem, quia imponi-  
tur ob peccatum mortale quod salutis lue immemor parui-  
dens, temporali pena vrgetur exequi quod tenet. Par-  
uitas autem ea materia contingit ex parte horarum cano-  
nicarum, cum omisso non est tanta: vt constitutat mortale  
(de qua re videnda sunt dicta in præced. lib. 18. nu. 143.  
& duobus sequentibus) aut quantumcumque sufficiens fuerit  
ad mortale, pars tamen fructum in eidem respondens ob-  
tenitatem beneficiorum, non est sufficiens. Quia tamen in re ca-

endum est, ne vni parua materia, alia similes paulatim ita  
coniungantur, ut mortali modo, sic excrecat, ut gravis fiat:  
perinde ac in furto, per modicam repetita, excrecentem in ma-  
gnum.

Quintum est: ex eo, quod in eadem lege dicitur, talem  
restitutionem faciendam esse fabricæ beneficiorum, intelligi non  
esse liberum, eam facere in opus alterius loci etiam pii. Et  
quia non dicitur fabricæ Ecclesiæ beneficiorum, permisum esse  
eam facere fabricæ alterius edificij ad beneficium ipsum spe-  
ciantis: ut dominus in qua beneficiorum habitat, aut in qua re-  
condunt fructus beneficiorum, unde expensæ necessariae, vel  
utiles pro illius reparatione factæ, deduci possunt à summa  
restitutione.

Sextum est: quia in eadem lege additur (q[uod] que determina-  
tione certorum pauperum) vel pauperibus faciendam esse ta-  
lem restitutionem, posse eam fieri per eleemosynam in quo-  
cumque pauperes: præfertim cum id maxime sit consentaneum  
Christianæ charitati, quæ omnes amplectitur in Chri-  
sto: & reddit faciliorem, ac suauorem ipsam restitutionem:  
vt bene nu. 20. idem author notat. Unde consequens est:  
eandem restitutionem fieri posse procuratio[n]e celebratio-  
nis Missæ & aliorum Ecclesiastico[r]um suffragioru[m] pro de-  
functis, qui & ipsi pauperes sunt valde indigentes tali refri-  
gerio. Itemq[ue] suppleri posse per eleemosynas, quas ait ea be-  
neficiorum de fructibus sui beneficiorum fecerit pauperibus: cum  
et cuiusdam anticipata solutionis rationem quamdam ha-  
bere possint. Adde etiam ex Nauarro in fine citati nu. 122. &  
de orat. in cap. 7. nu. 34. quod Suarez approbat in num. 21. e-  
um qui ad eiu[m]odi restitutionem tenetur, si vere pauper  
sit, sed prudentius Confessarii consilio prius requisito, quia sa-  
tis est decipi in propria causa, tanquam in eleemosynam ac-  
ceptum a Papa, posse licite retinere libi illud quod restitu-  
endum est, aut eius partem.

Aduerte autem beneficiorum obnoxium esse huic pœ-  
nae quantumcumque cætera onera sui beneficiorum obierit, vt  
administrarit sacramenta, cum esset Parochus. Nā hoc non  
obstante reus est peccati mortal[is], quod committitur omis-  
sione recitationis horarum canonicarum; quod vnum tali  
priuatione punitur, tanquam ea sufficenter dignum: non ob-  
stante, quod quis cætera sua munia exequatur: sicut & suffi-  
cienter dignus est æterni iuplicio, quantumcumq[ue] in nul-  
lo alio deliquerit, iuxta illud Iacobij 2. Qu[m] cumq[ue] totam le-  
gen seruauerit, offendat aut in vno, factus est omnium reus.]

Aduerte secundo: quia proposita lex nulla habet verba  
derogatoria; si ex aliqua loci conuentu dine restitutio fructu-  
um beneficiorum male perceptorum certe operi pio applican-  
da sit, illam nō liberare ab eisdem conuentu nisus obserua-  
tione; cum, vt bene nota Suarez nu. 27. non sacerit ad hoc  
ea ipsa lex instituta, vt seruaret vigilati fabricæ beneficiorum  
aut pauperum: sed vt expeditior redderetur via ad executio-  
nem talis restitutionis, dum constaret, quid, à quo, quan-  
tum, & cui esset restituendum.

Aduerte tertio, quia Rius quintus sua constitutione, pen-  
sionarium non recitante[m] Officium paruum B. Virginis, ad  
restitutionem obligat eadem ratione qua beneficiorum non  
recitante[m] horas canonicas: quia de hoc quoad modum re-  
stituendi sunt dicta ad illum extendi.

Aduerte postremo, aliam esse rationem de fructibus,  
quos beneficiorum luci fecerit per distributiones quotidiana-  
res: Nam illi non sunt restituendi fabricæ, aut pauperibus,  
sed iis qui choro interfuerint, quibus sacerescunt, ex capit. vnu  
De clericis: non residentibus, in 6. & Concil. Trident. sess. 24. capite. 12. De reform. Quia de re poterunt Cano-  
nicci, quærum est propria, videre Couar. in lib. 3. var. resolut. cap. 13. & Nauarrum in miscellaneo 59. De oratione: ac post  
eisdem perspicue, squalque plene differentem Azotium in  
2. par. Moral. institut. libro septimo cap. septimo.

Cæterum versatur in dubio, An sicut pœnam peccati  
mortalis incurrit beneficiorum, qui sine debita attentione  
horas canonicas recitat: scilicet etiam incurrit pœnam restitu-  
tio[n]is fructuum beneficiorum perinde ac si omnino non recita-  
set. De hoc Petrus à Nauar. lib. 2. De restitut. t. p. 2. num.  
228. & li. 16. cap. 1. vbi duo præmonet. Alterum, ta-  
lem non teneri ad restitutionem spiralem secundum ex-  
 qualitatem, id est, non teneri horas sine attentione fe-

citatis repetere iam transacto die: quia nimisrum talis obligatio onus est dei: sicut & obligatio ieunii Ecclesiastici. Alterum est: ex eo solo, & quis inquinatus peccato mortali horas canonicas recitet, ipsam non teneri ad restitutionem fructuum: quia in illo statu implet praeceptum Ecclesiasticum secundum substantiam operis, si integrum, & cum debita attentione recitet: sicut & is qui una refectio in die contentus est, nec cibis vescitur utitur, implet praeceptum ieunii (quantumvis peccato mortali inquinatus.) neque illius transgressione novo peccato se contaminat. Acceptatur autem a Deo talis recitatio ob devotionem Ecclesie, cuius illi qui recitant, sunt ministri: sicut & acceptatur instrumentorum musicorum symphonia, qua in diuinis officiis Ecclesia ipsa utitur.

His autem premonitis statutum memoratus author contra Sotum, & Cordubensem, quod voluntarie recitans sine attentione (vt accidit ei, qui confabulator, pecunias numerat, scribit, alia quoniam ea misceret cum recitatione) sicut non implet Ecclesiasticum praeceptum de recitatione officij, studiose pariter, & denote exequenda, ex cap. Dolentes, De celebratione Missarum: ita nec lucrari fructus qui ab Ecclesia assignati sunt in stipendum, iis qui tale praeceptum implerent. Quod enim putitur per illorum priuationem, est eiusdem praecepti transgressio, a qua beneficiarij vita futura immemorata, notabantur non reuocari per precium peccati mortalis, sub qua tale praeceptum impositum est, vt paucus superius notaimus. Eamdem sententiam sequitur. Suarez De relig. tomo 2. lib. 4. cap. 30 num. 14.

Nota vero quod Petrus a Nauarr. num. 234 addit, & multis consolationem adserre potest: si quis memoria teneat omnia recitanda, ipsum satisfacere praecepto recitandi, quantumcumque ad verba non attendat, dummodo exterius attentionem adhibeat, recolle & suscipe sit, ac compositionem, & modestiam orantis seruat: quia non exponit se periculo non pronunciandi: adeo vt si qui more solito dicit Primam, aut aliam horam memoriter; si in finevnius, aut alterius Psalmi aduertat se debite recitare, credendus sit a mortali excusari, nec ad restitutionem teneri; cum quoad cetera, saltem sit verosimile, ipsum recte omnia pronunciasse. Quod superest videtur docendum, quas sint causae ob quas possit quis censeri a tali restituente excusatus, uno verbo expedit dicendo eas esse ob quas a mortali excusat. Eas perfecquunt summus in praecedenti lib. 18. cap. 13. post Nauarrum in Enchir. cap. 25. numero 100. & 101. & in tract. de oratione, cap. 11.

### CAPUT V.

#### De beneficio obligatione residendi.

#### S U M M A R I U M.

49. Quia beneficia residentia non requirant ex obligatione.
50. Quia non requirant.
51. Quid sit tenendum in hac re quo id beneficia tenua.
52. Peiure quo impostra est proposita obligatio.
53. Cum beneficio habeat curam animarum ne quidem Papo potest in tali obligatione dispensare sine iusta causa.
54. Aliquot tales scilicet.
55. Licet a beneficiis curam animarum habentibus concessa a Concil. Trident.
56. Legitime excusat a residendo facere potest fructus suos.
57. Obligatio dispensari in hac re: & quis posset in ea ad spesare.
58. Pena restitutio, qua punitur transgressio proposita obligationis.
59. Ea non imponitur incurrienda ipso facto: & quia non ante condemnationem posset quis utrilibus quorum punitio punitur.
60. Explatio difficultatis, An ad talem penam vitandum, sufficiente residere, Ecclesiasticum ministerium per substitutum exercendo.

**O**bligatio residenti in propriis Ecclesiis, id est seruendi per seipsum in Ecclesia in qua habetur beneficium, in quo personaliter sedendi officium, propter quod datur beneficium: colligitur ex toto titulo de Clericis non residenti-

bus. Agentes de ea re autiores (quibus adde Nauarr. in Enchir. cap. 25. nu. 121.) refert Azor 2. parte Moral. instit. lib. 7. sub initio cap. tertio, in quo & tribus sequentibus, sati latet eam persequitur.

Ceterum, certum est omnino beneficium cuin animatum cura sue in foro interiori tantum, vt parochiale; siue tanquam in exteriori, vt Archidiaconatum, cui potestas gubernandi annexa est absque pastorali cura; siue in utroque simul, vt Episcopatum: & quodcumque aliud cui iurisdictio, & pastoralis cura est annexa. Certum inquit est residentiam requirentem secundum commune ius canonicum, per cap. Adhac, & cap. Expiranda. Qui vero De praebendis, & cap. Quia nonnulli, De Clericis non residentibus, & ca. Licer Delect. in 6. Qui Canones innovantur in Concil. Trid. scilicet 6. & scilicet 23. utroque cap. 1. De reform.

Idem quoque dicendum est de beneficiis eorum qui habent Ecclesiasticam dignitatem, praeposituram institutam ad conseruandam, & augendam disciplinam Ecclesiasticam: qualia sunt Praepitorum, Decanorum, Thefuariorum, Praecentorum, nonnullorumque aliorum. Pro quo textus est in citato cap. Adhac, cap. Ex parte vestra, cap. Inter quatuor, cap. Ex parte tua, De Clericis non residentibus, & in Concil. Trid. scilicet 24. cap. 12. Dereformatione.

Idem adhuc dicendum est de canonicatu, Pro quo item faciunt cap. De cetero, ca. Tu. cap. Cum dilectis. cap. Cum ad hoc De Clericis non residentibus, & cit. cap. 12. Concil. Trident. vbi idem habetur de praebenda, & portione: vt & in cit. cap. Cum ad hoc vbi illam habentes vocantur assisi. Ad quod verbum glossa notat assisi, quasi assiduo vocari beneficiatos, qui non sunt canonici, & seruire debet Ecclesia: nec vocantur ad communes tractatus cum canonici. Idem praeterea dicendum est de vicariatu perpetuo Ecclesiarum parochialium per cap. finale, De officio vicarij. Item denique de beneficiis habentium Episcopatus, Abbatias, vel Prioratus in commendam, vel administrationem perpetuam, etiam quoad spiritualia, quoniam habent idem omnes & obligationem, quam iij haberent, qui in titulum talia beneficia obtinerent.

De ceteris autem beneficiis non est ita certum. Nam eti si Doctores (quos satis magni numero Azor in eodem cap. tertio, versu Sed dubitatur, refert & seq. ita) omniter assertant omnino beneficium iure communis residentiam requireti: quia ex cap. Quia nonnulli, Relatum. ca. Conquerente, De Clericis non residentibus: & cap. finali. De rescriptis in 6. beneficium datur propter officium, quod quidem requirit presentiam personae in loco in quo ipsum debet exerceri. Nihilominus inde nihil amplius videtur colligi de necessitate, quanm quod beneficiarij in Ecclesiis constituantur ut seruant, officium in eis exercendo, non autem statui aperte, quod debeant personaliter seruire per seipso: sicut de Parochiis, ac aliis prius memoratis particulariter statuitur. Quidquid autem lit de iure communis, constat apud omnes dari quodam beneficia, simplicia ultra antem memorata, vt capellania: quae per se studeant receptum, nec tanquam illicitam reprobari solitam, libera sint a residentia personali: excepto quod interdum aliqua eorum ex statuto speciali, vel fundatione illam requirant, non vero ab obligatione, officium quod eis annexum est, prestandi per alium.

Adiuerte vero qd predictum est de obligatione residendi, locum habere quantumcumque beneficium tenua, propter Nauar. initio citat. n. 121. expressit, post plures alios quos Azor commemorat, & sequitur in illo eodem ca. 5. que l. 3. Ratio vero est: tum quod generaliter ius praecepit beneficitiis, commorari in sua Ecclesia: nihil distinguens, sine pingue, an tunc beneficium: neque ob redditum tenuitatem, aut invenit ratio beneficij. Tum etiam quod Clericus, cui beneficium tenue confertur, possit illud propria sponte respire: ideoqne si illud accipiens, incommode aliquod sentiat; debet sibi imputare; perinde ac ille, qui modice dotatam vxorem voluit ducere, debet sibi imputare, quod in ea sustentanda graueretur. Inde per dicenda in sequenti numero 284. si habens beneficium tenuum, obtineat aliud residentiam requirens, tenetur relinquere prius, aut dispensationem obtinere ad utrumque simul retinendum, seruienti